

Georg Heinrich Häberlin Friedrich Heinrich Camerarius


Exercitatio Theologica De Sacramento Initiationis N. T.

Tubingae: Literis Kernerianis, 1684


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn875158234>

Druck Freier  Zugang





78.



Fa - 1092 (78) (SON)

Tomo Soc. LXXXVII. habent

1. Isaac Faustig de Epistola Jacobi sententia Veterū.
2. ——— ad locum Jacobi V, 14. 15. p sent. Lutheri prior.
3. ——— ——— ——— ——— ——— Posterior.
4. ——— ——— ——— ——— ——— Tertia.
- 5-13. Jo. Adami Osiandri Disputationes IX. de luce increata et creata.
- 14-18. Michaelis Muller Disputationes V. de Invocatione Ss.
19. Wilhelmus Zeschig de Theologia principio cognoscendi.
20. Georgius Hennig Haerberling de Benivolentia Dei generali et speciali.
21. Fndencus Gerschorig de Passione et morte Jesu Christi.
22. ——— Haerberlinus de Baptismo.
23. Jo. Adamus Scherzerus de fide baptisatorū infra ^{tum}
24. Antonius Reiserus de Sacram. Baptismi.
25. ——— Haerberlinus de Justificatione.
26. ——— J. A. Osiander de Justificatione
27. ——— ——— de fide justificante.
28. Mich. Muller de Imputatione justificationis.
29. Jo. Fndencus Olearius de Renovatione.
30. Jo. Meisnerus de oratione spiritus. in habitatione.
31. Jo. Osiander de Calesia.
32. Geom Hennig Keller de Ecclesia infantum.
33. Jo. Lud. Hartmannus de Elencho morali.
34. ——— Jo. Ad. Osiander de Invisibilibus.
35. ——— ——— ——— de Miraculis.
36. ——— ——— ——— de Jure Patronatus Episcopatus etc.

37. Geom. Henricus Keller de Magistratu Pol.
 38. Königsmg. Hirkander. Satyra in Bökelmanni Dissert.
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-
 minis Episcopo Spalatensi.
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis. Indicii Syncretismi
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.
 44. Zwang Abthligg Risens Unschuldigung eines
 Briefs Lutheri.
 45. Melchioris Corneci Aristoteles rediret in R. Cathol.
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.
 ad Orat. inaug. O. Luhnii.
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.
 48. Jo. Reinhart Brecht de Paenit. Iterabili.
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practicis.
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecturae de Miliano
 presenti et Apoc. pp. 4 ff.
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.
 52. Christoph. Matthiae Pfaffig de Gratia et Praed.
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii
 Tridentini

J. S.

22

Q. D. B. V.
EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
**SACRAMENTO
INITIATIONIS
N. T.**

Quam
Divina assistente Gratia

PRÆSIDE

VIRO Admodum Reverendo, Dignissimo
atque Excellentissimo

**DN. GEORGIO HENRICO
HÆBERLINO, SS. Theol. D. ejusdemque**

Prof. Publ. & Illustris Stipendii Super-
attendente Gravissimo,

Domino Præceptore atque Fautore æviternum
Colendo,

*Placido Theologorum Examine
submittit*

FRIDERICUS HENRICUS CAMERARIUS,
Suevo-Halensis SS. Theol. Stud.

A. & R.

IN AULA THEOLOGORUM NOVA,

Ad Dies 6 Januarij.

M. DC. LXXXIV.

T U B I N G E,

LITERIS KERNERIANIS

J. Hochreiter

87914.

4
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

VIRIS MAGNIFICIS, *Strenuis, Nobilissimis, Amplissimis,*
Excellentissimis, Prudentissimis, Spectatissimis,

MAGNIFICO, ACADEMIÆ TUBINGENSIS
DN. RECTORI,
DN. BENEDICTO HOPFFERO, Philos.
Pract. in Per-antiqua EBERHARDINA PROFESSORI
PUBLICO Celebratissimo, Ducalis ibidem Stipendii Theo-
logici EPHORO vigilantissimo, Domino Patrono suo Co-
lendissimo.

INCLYTIS
LIBERÆ S. Rom. Imperii Reipublicæ SUEVO HALENSIS
ANTISTITIBVS,

DN. GEORGIO FRIDERICO SEYFFER-
HELDIO, Consul. Consistorii Direct. Scholarch. }
DN. JOHANNI PETRO LACORNIO, } *Quinqui-*
Consul. Consist. Assessori & Scholarch. } *VIRIS*
DN. JOHANNI CASPARO GLOCKIO, } *Gravissi-*
DN. LAURENTIO DRECHSLERO, } *mis, Me-*
DN. JOHANNI PETRO HEZELIO, Con- } *ritissimis,*
sist. Assessori & Scholarch. }

DN. JOHANNI PHILIPPO SCHRAG- } *Consiliariis*
MÜLLERO, J. U. D. } *ac Syndicis*
DN. HENRICO SYBÆO ab *Inguner* } *laudatæ Reip.*
Closter, J. U. Licent. } *Consultissi-*
mis, }

Cæterisque Senatorii Ordinis Assessoribus, Pa-
trix Patribus Optimis, Benignissimis,
Dominis Mœcenatibus, Patronis, Fautoribus suis
omni observantia & obedientia cultu
venerandis,

Hanc Dissertationem Theologicam

Strena loco

Offert ac exhibet

Subjectissimus Client

Fridericus Henricus Camerarius,

A. & R.

Utriusque in frontibus priscorum Gentilium ritus inaugurandi infantes, quibus recens natos infantes in Deorum gratiam deduci putarunt, solebant enim infantem in terram nudum sternere, ac Opem Deam, quæ & ipsa terra est, implorare, quoniam credebatur infantes partu editos non prius vocem edere, quam attigissent terram, testibus α Suetonio, β Seneca, γ Augustino. Apud Græcos infans die quinto lustrabatur & dicebatur ἀμφιδρομία, quo manus expurgabant, quæ obstetricis munere fuerunt perfunctæ, cursuque ad focum ferebatur infans mittebanturque à propinquis polypodes ac sepia munerum loco, pueroque decimo à partu die nomen imponebatur; Vid. Bud. Lex. h.v. Solebant etiam infantes calida abluere aqua, mox oleo & butyro, vino etiam quo utebantur Spartani; quos ritus prolixius recenset Alexander Neapolit. adductus à B. Dorischeo Disp. 4. Pentad. §. 2. 3.

Fova fova.

§. I.



Bleruamus in fronte varios priscorum Gentilium ritus inaugurandi infantes, quibus recens natos infantes in Deorum gratiam deduci putarunt, solebant enim infantem in terram nudum sternere, ac Opem Deam, quæ & ipsa terra est, implorare, quoniam credebatur infantes partu editos non prius vocem edere, quam attigissent terram, testibus α Suetonio, β Seneca, γ Augustino. Apud Græcos infans die quinto lustrabatur & dicebatur ἀμφιδρομία, quo manus expurgabant, quæ obstetricis munere fuerunt perfunctæ, cursuque ad focum ferebatur infans mittebanturque à propinquis polypodes ac sepia munerum loco, pueroque decimo à partu die nomen imponebatur; Vid. Bud. Lex. h.v. Solebant etiam infantes calida abluere aqua, mox oleo & butyro, vino etiam quo utebantur Spartani; quos ritus prolixius recenset Alexander Neapolit. adductus à B. Dorischeo Disp. 4. Pentad. §. 2. 3.

§. 2. Longè sanctiori & utiliori ritu, qui Baptismus vocatur, inaugurantur ad beatitudinem & consortium divinum infantes Christianorum. Vox Græca βαπτισμός deducta esse dicitur juxta Phavorinum πᾶρ ἔπιλειν cadere, eruere, & voce βάσιμα, quasi Baptismus sit ruina quædam Peccati, quæ potius pia allusio, quam vera derivatio est, cum cuius præstat βαπτισμὸν fluere ἐν ἑ βαπτίζω, immergere, intingere, & quidem proprie in aquam; cognationem habet, monente α. B. Gerardo cum verbo βυτίζω & βαδίζω, quorum utrumque significat in profundum demergere. Germanicum, Taufß/ß. B. Luthero Interpretere, descendit à voce Tēffe, quia baptizatus altè immergitur.

§. 3. Vox Baptismus est aliàs satis ambigua, quam enucleare pro rei dignitate instituti ratio, & chartarum paucitas disuadent, meminimus tantùm illius distinctiōnis apud Veteres in primis usitatæ, quæ Baptismus distinguitur in Bapt. FLUMINIS, qui duplex est vel generalis seu communis, & sic usurpatur pro quavis lotionē, Marc. 7. 4. Luc. 11. 38.

A 2

vel

α. In August. c. 5. & Ner. c. 4. β. l. de Mor. γ. l. 4. de Civit. DEI c. 10.

α. Tom. 4. Loc. L. de Bapt. §. 2. β. T. 1. l. 1. German. f. 186.

24.
23. 6. 8.
26.
21. 4. 0.
2. 5.
2.
3.
4.
3.
3.
3.
3.
3.
3.

4.
vel specialis, prout dicitur Sacramentum N. T. FLAMINIS, Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Act. 1, 5. quæ miraculosa Spiritus Sancti effusio in primitiva Ecclesia locum habens, cui addenda extraordinaria Spiritus Sancti operatio in Catechumenis, qui morte præventi Baptismum Fluminis nondum acceperant. SANGUINIS, Matth. 20, 22. seu martyrium illorum, qui Sacramento Baptismi non percepto pro fide confessioneque Christi decertantes, ad sanguinis usque profusionem restiterunt, vid. Gerh. l. c. §. 4. His additur à Socino & affectis quarta species scil. LUMINIS, seu doctrinæ, inprimis Johannæ, quam putant insinuari, Act. 18, 25. c. 19, 3. Sed malè. Quamvis enim non inficiemur II. d. notari præter Baptismum etiam doctrinam Johannis adeoque unum verum ejus ministerium, notari tamen voce baptismi præcisè doctrinam non possumus concedere, cum commodissimè de baptismo aquæ im-

loc. p. 157.

Disput. de
Bapt. §. 2.
Resp. 2. ad
Act. Coll.
Mompelg.

Præleç. A.
C. Art. 9.
p. 87.

de Symb.
ad Catech.
lib. 3. c. 1

mediatè explicari vox ista possit. vid. B. Dorfscheus. Observandum, distinctionem hanc à Patribus usitatam non esse analogi in sua Analoga, nedum univoci in sua univocata, sed tantum æquivoci in sua æquivocata seu nominis in sua significata, quia definitio Baptismi Fluminis neque per prius neque per posterius aliis duabus speciebus competit; annotante Excellentiss. D. Quentsted. Ex quibus fuit unum saltem esse Bapt. videlicet Eph. 4. v. 5. *Vnus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Unde turpiter quoque erravit Beza ejusque sequaces, asserentes duplicem esse Baptismum, unum externum, qui peragatur à ministro Ecclesiæ, alterum internum, qui à Spiritu S. conferatur demum post aliquot annos, ubi jam homo baptizatus potest audire verbum DEI. Vid. Grauerus. Nobis hac vice de solo Baptismo fluminis seu aquæ, ut vocant, agere animus est.

§. 4. Insignitur Baptismus Titulo Sacramenti. Quamvis autem nullibi in sacris literis nisi in versione Latina, Ephes. 5. 32. 1. Tim. 3. 16. Apoc. 17, 7. hæc vox occurrat, non tamen more Carolstadii plane ab eâ abhorreere debemus, tum quia in primitiva Ecclesia jam fixit sedem, testibus Tertulliano, qui primus in nostra significatione illa usus fuit; & Augustino. Unde Aug. Confessio illam approbavit, tum quia significatio ejus profana apud Veteres recepta quam commodè applicari potest ad signa gratiæ divinius instituta, quod dudum nostri docuerunt Vid. Gerh. LL. de Sacram. §. 7. Quod juste autem ad Baptismum hæc vox translata sit probaturi ex Sacramentorum requisitis. Ex Sacramen-

eramentorum causa; 2. Eorum materia duplici. 3. Forma, de quibus
 singulatim infra. Usurpamus verò hanc vocem in sensu strictiore &
 proprio, non latiori atque analogico, quo illud quoque appellatur
 Sacramentum, quod mandatum DEI habet, additâ promissione, quo
 sensu Apologia A. G. etiam pœnitentiam dicit esse Sacramentum. Innui-
 rur itaque voce Sacramenti, quod baptismus non sit mere signum exter-
 num, sed internum, non vulgare, sed singulare, non physicum, sed
 mysticum, non humanum, sed divinum, neque mere significativum,
 nec analogicum, nec relativum, sed operativum, organicum & effe-
 ctivum, quod nobis gratiam DEI offert, exhibet, applicat, confir-
 mat, obsignat, & vid. Magnificus D. Osiander, Patronus meus Maximus,
 B. & D. Deutschmann.

Ob. In Col-
 leg. A. C.
 Artic. 9.
 p. 385.
 B. In Re-
 per. A. C.
 Artic. 9.
 Disput. 14.
 § 13.

§. 5. Porro Bapt. vocitatur Sacramentum primum, non absolute
 primum, quasi omnium Sacramentorum in mundo fuerit primum, sed
 relative, vel in ordine ad administrationem, quia Bapt. tum infantibus
 tum adultis prius Eucharistia applicatur, vel respectu habito ad Institu-
 tionem, quia sc. Baptismus ante Cœnam Dominicam fuit institutus;
 quanquam, quo præcisè tempore facta sit institutio, haud uniformiter
 loquantur Scholastici, Thomâ Aquinate ex Lombardo simpliciter as-
 serente, quod baptismus institutus sit, cum Christus à Johanne in Jorda-
 ne fuit baptizatus. Alexandro vero Alensi ita procedente: Baptismum
 institutum fuisse materialiter, cum Christus à Johanne baptizatus, quia
 tunc materiam dedicavit. Joh. 3. institutum fuisse finaliter, quia ibi osten-
 ditur finis Baptismi sc. ingressus in Regnum Cœlorum. Matth. 28. For-
 maliter, quia ibi formam expressit, in cruce, quantum ad significatio-
 nem, dum sc. exivit ex Christi latere sanguis & aqua. Luc. 10. Officia-
 liter dum discipulos misit binos & binos ad prædicandum & baptizan-
 dum; vid. Gerh. L. de Bapt. §. 15.

§. 6. Certum verò est, Sacramentum Bapt. à Johanne Bapt. cep-
 sisse, idque probamus partim ex divina Johannis missione ad hoc Sacra-
 mentum administrandum. Joh. 1, 33. Matth. 21, 25. ejusque approba-
 tione. Luc. 7, 30. partim ex identitate formæ, baptizavit enim in nomine
 Domini à quo missus est, Ergo in nomine SS. Trinitatis, partim ex iden-
 titate materiz quæ fuit aqua, partim efficaciz, baptizavit enim in remis-
 sionem peccatorum, quamvis non omnem inter Bapt. Johannis & Chri-
 sti differentiam negemus; Probè etiam disting. inter primam Baptismi
 insti-

24.
 23. 46. 8.
 26.
 20.
 2.
 2.
 3.
 4.
 3.
 3.
 3.
 3.
 3.
 3.
 3.



institutionem, quæ facta est Luc. 3, 2. cum Johannes ad baptizandum accepit mandatum & inter præcepti hujus à Christo resuscitato factam repetitionem, nec non solennem postea baptismi inter gentes promotionem. Matth. 28, 19. à quo tempore cœpit esse necessarius, necessitate tum præcepti, tum medii, necessitas medii prædicta est, Joh. 3, 5. Nisi quis renatus fuerit, &c. necessitas præcepti fundatur in d. l. Mattheano. vid. Fabricius; an ipse Johannes à Christo fuerit baptizatus, quæri solet. Affirmant Chrysofomus, Nazianzenus, & alii. Cajetanus, Abulensis, Cornelius à Lapide citati à B. Kromajero, putant, hanc rem esse dubiam & incertam. Author modò laudatus negat, rationibus petitis tum ex scripturæ silentio, tum ex admiratione discipulorum Johannis, Joh. 3, 26. quæ non fuisset eventura, si Johannes ipse à Christo jam baptizatus fuisset. Caterùm nullius valoris est Objection Bellarmini, contrahensin supra prolata sc. quod Baptismus Johannis pertineat ad N. T. quia ante prædicationem cœpit, E. m. tempore illius Baptismus non fuisse institutum. Hanc enim objectionem alii multis tractant verbis, ad quos Benev. Lectorem remittimus, contenti solutione Dn. D. Scherzeri, dicentis: qui baptizat in Messiam exhibitum, ejus Baptismus pertinet ad N. T. Messias enim exhibendus pertinet ad V. T. exhibitus ad N. T. spectat.

§. 7. Causa efficiens Baptismi est veneranda SS. Trinitas, tribuitur enim Baptismus DEO absolutè, mittenti ad baptizandum. Luc. 3, 2. Hæc revelatio divina, legatio & missio est opus ad extra adeoque toti Trinitati commone. Matth. 28, 19. 1. Jos. 5, 7. Tit. 3, 4. 5. 6. Joh. 3, 5. quæ omnia fufius tractat D. Deutschmann. Enormiter hîc errarunt Calviniani, excludentes humanam Christi naturam ab institutione & dispensatione Sacramentorum, Haud procul discedit ab hac sententia Bellarmianus, qui Christo ut homini quandam potestatem Excellentie derivatam à Divinitate, quæ sit velut media inter D. & H. N. tribuit; de quo videndus B. Gerhard. Quod primum attinet, proclamamus illud tanquam horrendam blasphemiam, unionem personalem solventem; ad Bellarmini figmentum regerimus, quod exinde grandia prominent absurda, sc. dari duo infinita, aut enim habet Christus potestatem finitam aut infinitam, media est monstrum, quia ab utroque extremo aliquid participaret, quod maximè inconveniens; Non finitam quia assumptione car-

Prælect. Theolog. L. X. pag. 476. Disput. de Baptism. Christi, quæst. 7. Anti-Bellarmin. Disput. 10. pag. 509. Obj. 3.

l. c. Disput. 15. §. 4. 5. 6. lib. de Sacram. c. 28. Tom. 4. EL. de Sacram. §. 27.

ne carnis D. N. omnia sua attributa communicavit, ita ut de Christo possim dicere, quod sit omnipotens, infinitus; E. Christus gaudet etiam secundum H. N. non media, sed verè divina & infinita potestate, quam porro probant seqq. dicta Math. 11, 27. & c. 28. 18. Heb. 2, 8.

§. 8. Ordinariè illi baptismum administrare debent, qui Math. 28, 19. ad hoc munus obendum vocati sunt, Apostoli illorumque Successores, cujuscunque sint ordinis, sive Episcopi, sive Presbyteri, sive Diaconi, ut loqui amant Pontificii. Iphis verò Pontificiis pro solis Sacerdotibus id est, Episcopis & Presbyteris, (Interprete Bellarmino) pugnantibus eleganter respondit Nazianzenus: *Ne dicas Episcopus me baptizet, aut Metropolitanus, aut Hierosolymitanus, non enim locorum est gratia, sed Spiritus Sancti*; Diximus autem ordinariè, præscindendo statum extraordinarium sive necessitatis, cui ordo cedit; Longè alia via incedimus in casu necessitatis, non respicientes personas, hoc docet Cyprianus, opponens orthodoxum heterodoxo, fidelem infideli, sincerum Ecclesie Doctorem Hæretico, quos omnes administratione Baptismi dignos judicat, dicens: *Sive Paulus, sive Iudas baptizet, Christus peccatorem lavat, absolvit & delet.* Non autem damus omnium hæreticorum baptismum esse ratum, duplicis enim generis sunt hæretici. Vel enim essentialia depravant loco aquæ substituendo aliudquid vel præfractè Trinitatem negando. Ab his sane baptismus verus administrari nequit, unde interroganti, an Photinianorum baptismus sit verus, respondemus negando, si itaque transeat ad nostram religionem Photinians, censemus illum denuo baptizandum esse, non quod rebaptizandus Theologicè, prior enim baptismus fuit nullus, sed Physicè, doceate Reverendissimo Uuiversitatis Tubingensis Cancellario. Deinde sunt hæretici, qui in aliis articulis fidei graviter quidem errant, de substantia tamen hujus Sacramenti rectè sentiunt aut in administratione divinam sequuntur institutionem, quorum utique baptismus verus est, quia Sacramenta & in specie Baptismus non à pietate, religione vel fide dispensantis, sed ex solius DEI instituentis disponentis promissione & veritate pendent. Imò Ipse Christus Circumcisionem Sacerdotum, Scribarum & Phariseorum multis scitentium erroribus Matt. 23, 2, approbavit; sequeretur etiam è contrario, illos, qui à ministris clam hæresin foventibus baptizati sunt, non fuisse vero Baptismo tinctos, quale exemplum Heidelbergæ contigisse in Historia Eccles. B. Luc. Osiandri legitur.

l. 1. de
Sacram.
Bapt. c. 76
Serm. de
Bapt.

l. 6. Art. 9.
p. 389.

Cons. 16.
§. 9. Quod l. 2, c. 221

§. 9. Quod si igitur licitum hæreticis administrare baptismum, quid obstat, quo minus etiam concedatur Laicis utriusque sexus, præsupposita inopia ministrorum Ecclesiæ, quorum copia si datur, neque prioribus neque posterioribus concedenda administratio; Assertionem tum hujus tum præcedentis thesæos probat exemplum Zyporæ circumcidentis infantulum Exod. 4. 25. 26. quam, cum in gemilitate nata & educata sit, in omnibus doctrinæ cœlestis partibus eo tempore recte institutam fuisse, haud verisimile est; præterea fuit sexus sequioris, cujus vestigia præferunt scœminæ Israeliticæ 1. Machab. x. v. 63. 2. Machab. 6. 10. Non prætereundus hic videtur baptismus puerorum, an ratur haberi debeat; Affirmativæ favere potest exemplum Athanasii in pueritia baptizantis; Cujus tamen Baptismum rejicit Beatus *Disput. 13.* Finckius, his nixus rationibus, quia 1. fuisse videtur gesticulatio & puerile ludicrum. 2. quia incertum, an omnia, quæ ad Sacramenti hujus *Gieß. T. 5.* essentialiam pertinent, adhibuerit. 3. quia ipse nondum fuerat missus ad baptizandum & Evangelizandum. 4. quia non baptizavit ex intentione Ecclesiæ. 5. quia nullus evidens adfuit casus necessitatis. Idem esto *p. 310.* iudicium de Baptismo puerorum; addatur quod vix dabilis sit talis necessitatis casus, ut præter puerum non alii intersint partui.

§. 10. Materia hujus Sacramenti duplex est, alia visibilis sive terrestris, alia invisibilis sive cœlestis. Illa inquitur cum vocatur lavacrum aquæ, Eph. 5. 26. Prænotandi autem veniunt errores circa materiam visibilem. Nam in locum aquæ varia, ignem scilicet, quemvis liquorem, oleum, arenam aliaque quidam substituerunt. Imò Jacobitæ circa annum 390. aquæ baptismatis loco candente ferro crucis signum frontibus imprimebant. Notamus quoque superstitionem Interimistarum atque reliquorum Pontificiorum, in libro Interim propositam his verbis: *In vigilia Pascha & Pentecostes aqua baptismatis per omnes Ecclesias parochiales solenni benedictione præparetur.* Quasi non omnes aquæ antea sint ad salutarem baptismi fontem consecratæ, cum homo ex Christi institutione baptizatur in nomine Patris, Filii & Spiritus S. sunt verba B. Luc. Osiandri; Toletus scribit, posse esse baptismum in lixivio, brodio carniū vel piscium, ut Donatistarum, contra quos scripsit Augustinus, Manichæorum, aliorumque errores circa Bapt. silentio involvamus.

H. E. Centur. l. 2. c. 68. pag. 468.

§. 11. Est igitur materia hujus Sacramenti aqua vera non ficta, pura non impura, actualis non potentialis (disputant Pontificii, de glacie, nive, an possit illis baptizari) Physica, non artificialis, qualis aqua rosarum. Pessima igitur quarundam muliercularum religio erat, quæ ex facta aqua, qua ipse Redemptionis nostræ sors JESUS CHRISTUS baptizatus fuit, spernentes, aquam rosaceam vel alium liquorem ex herbis extractum, loco elementaris aquæ in baptismo adhibendum esse censebant. Cujus erroris facem prægessit Beza, scribens: *Desit aqua & tamen Baptismus alicujus differri cum adificatione non possit, ego esse quovis alio liquore non minus rite quam aqua baptizatum.* Quibus opponimus 1. institutionem hujus Sacramenti, Baptizate, ubi sola Etymologia vocis materiam suggerit. Baptizate, hoc est, immergite aquæ, prout supponimus ex §. 2. Opponimus 2. Exemplum Christi, non alio liquore, quam aqua baptizari volentis, & Apostolorum solâ aquâ baptizantium. 3. Loc. Joh. 3, 5. ubi utriusque materia terrena & cœlestis mentio fit; Ex quibus defini potest casus, ille; si obstetrix aut alius Laicus necessitate præventus ex cantharo proxime assistente lateri vinoque vel aqua medicata repleto incogitanter infanteu lethaler de-cumbentem mero baptizaret, observatis reliquis omnibus Baptismi essentialibus; an talis infans sit rebaptizandus? Ubi utique affirmati-vam amplectimur, nam ubi unum deest essentielle, ibi non est baptismus integer, unde satius est baptismum omittere quam usum aquæ mutare, monente Augustino, 2. Si rebaptizatur, qui arenâ baptizatus est, etiam rebaptizabitur qui vino baptizatus est, illius exemplum tradit Nicephorus, arenâ enim & vinum, quatenus sunt res ad hoc Sacramentum non destinatæ, minime differunt.

§. 12. Accessum igitur facimus ad materiam invisibilem s. cœlestem, ubi Theologorum apparet discrepantia, quibusdam negantibus materiam cœlestem, quibusdam cum Luthero verbum, quibusdam Trinitatem, quibusdam sanguinem Christi, quibusdam Spiritum S. quibusdam omnia hæc conjunctim pro materia agnoscentibus. Verum existimamus nos, quod attinet primum, non posse huic Sacramento denegari materiam cœlestem, tum quia receptus est Canon Augustini: *Accedat verbum ad Elementum & fit Sacramentum*, ubi per verbum intelligitur res cœlestis, quæ conjungitur Symbolo externo, & facit Sacramentum, tum quia in Sacramentis V. & altero N. T. scil. cœna hoc ipsum requiritur,

B

Traditio
in Joh.
lib. 3. c. 37

ritur, cur itaque Bapt. solus careat materia cœlesti, tum quia transformantur Sacramenta in signa inania, quæ essent sine nucleo, neque potest definiti, quomodo aqua simpliciter tali absque materia cœlesti DEUS renouet baptizatum; Separato enim inde verbo, non alia est aqua atque illa, qua in culina utimur, ut loquimur B. Lutherus. Reliquæ sententiæ ita sunt comparatæ, ut possint omnes suo modo admitti; Verbum DEI scilicet non formaliter, sed materialiter juxta sensum nativum, nam recitantur verba E. concurrent. Sanguinem Christi admittere possumus, quia sine eo non fit remissio peccatorum, Hebr. 9. In Bapt. autem fit remissio peccatorum, tum quia sanguis Christi est causa meritoria & lavacrum commune, per quod à peccatis abluimur, 1. Joh. 1, 7. tum quia omnia, quæ habemus in N. T. illa debentur sanguini Christi. Trinitatem adesse in Bapt. tanquam materiam cœlestem; Prob. est enim Bapt. bonæ conscientie fœdus erga DEUM, 1. Petr. 3. Spiritum S. definit ipse Christus, qui ingreditur in corda hominum atque nos exo-

ca. Brev.

c. 10. §. 3.

β. l. c. Di-

spat: 14.

§. 27.

γ. Colleg.

Quæst.

Theol. pag.

180.

vid. α. B. Hülsem. & sæpius laud. β. D. Deutschm. annotatis Scripturæ locis Eph. 5. 26. Joh. 3. 5. 1. Joh. 5. 6. 1. Cor. 6. 11. Matt. 28. 19. Amplè Criticatur autem in primis illam sententiam, qua statuitur Trinitatem esse materiam cœlestem, ubi maxime audiendus γ. Magnificus Dn. D. Osiander, dicens: Cùm Christus jubet baptizare in nomine Patris, Filij & Spiritus S. non tantum hoc vult, autoritate Trinitatis baptizandum esse, adeoque Trinitatem habere se in ratione cause efficientis, sed etiam indicat Trinitatem esse materiam hujus Sacramenti; quemadmodum vox baptizandi, non tantum actum ministerialem externum designat, sed etiam Sacramentalem; Probe tamen disting. inter ea, quæ concurrunt ad hoc Sacramentum quocunque modo & inter ea; quæ definita materia specialis nomen & rationem habent. Concurrunt verba institutionis, sanguis Christi, specialis tamen materia rationem habet SS. Trinitas.

§. 13. Forma Bapte. designatur in ipsis verbis institutionis: Baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus S. Ubi verbum baptizate importat immersionem s. asperersionem aquæ, ut in §. 2. dictum, nihil enim refert si ve immergantur s. aspergantur baptizandi sive in fronte, s. in pectore, s. in corpore toto, quæ omnia adiphora sunt, sicut & illud an asperersionis aut tribus vicibus fieri debeat. Asperersioni adjungitur recitatio verborum institutionis; ego te baptizo in nomine Patris, Filij & Spiritus S. Græci formulam Baptismi adhibent in tertia Persona: Baptizetur servus Do-

Domini in nomine Patris, Filii & Spiritus S. quamvis autem formula sic prolata integritati Bapt. nil derogat, quia tamen in nostris Ecclesiis usitata forma propius accedit ad mandatum Christi, merito priori præferenda censetur. Cur autem Christus distinctam voluerit adhiberi Trium Personarum mentionem, ita ut non muta sit actio, nec sufficiat si minister in animo recitet formulam præscriptam, rationes adferuntur haud contemnendæ, inter quas illa in primis considerationem meretur, quod omnes & singulæ personæ hic agant, ac beneficia sua baptizato dispensent; Pater recipiendo baptizatum in Filium, Filius in fratrem & discipulum, Spiritus S. in templum & habitaculum. Et sicut in prima creatione non solus Pater operatus est, sed Filius & Spiritus S. Ita in *ἀνακλισησὶ καὶ ἀναπλασῶσιν*, quæ fit mediante baptismo, tota SS. Trinitas operatur. *l. de Bapt. §. 90.* Vid. Gerhard. Cur autem sonora voce proferenda sit, ratio est, quia sicut officium docendi non est mutum, sic nec actio in nomine Patris, Filii & Spiritus S. debet aut potest esse muta; quis enim alias ex gentibus sciret, quomodo & in cuius nomine sit baptizandum, imo baptizatus semper dubius hæreret, an etiam minister in suo bapt. animo obvolverit Trinitatem. His non obicem ponit Act. 2. v. 38. Petrus enim in d. l. non de causa formalis, sed efficiente & finali loquitur, non dispensativè, sed recitativè. Posito autem agi hic de Christo tanquam causa efficiente bapt. non tamen sequitur excludi reliquas personas duas, sicut Joh. 3, 5. mentione Spiritus S. non excluduntur Pater & Filius. Ambrosius monet, nomine Christi totam SS. Trinitatem exprimi; Cum Christum dicis & Pater, à quo unctus est, intelligitur & ipse, qui unctus est, & Spiritus S. per quem unctus est.

§. 14. Solum autem homines sunt baptizandi, ubi r. excluduntur mortui. 2. nondum nati, qui tantum parte aliqua minus principali, manu. vel pede extra utrumque apparent, hos non baptizandos esse patet ex Augustino; Qui non nascitur, re-nasci nequit. 2. Ex Consilio à B. Hülsemanno dato, cum enim infans Heilbronæ ex utero prominens, baptizaretur ab obstetrice, & quæ situm fuisset an ille baptisimus sit legitimus, responsum est, quod non sit legitimus, licet habitus fuerit rarus & validus. Excluduntur. 3. egressi ex utero partus monstrosi, ubi tamen distinguendum inter monstrosus, qui simpliciter talis est, & qui secundum quid talis, simpliciter talis non est baptizandus, sed secundum quid talis baptizari potest, in qua sententia est B. Andreas Osiander scribens: *Monstrosus natus ex hominum concubitu, aut non habet veram humanitatem i. e. formam perfecti & rationalis hominis & baptizari non debet. Aut habet figuram rationalis hominis, si sc. monstrosus in ignobiliterius corporis partibus hæret, & talis representat vel unius hominis speciem. & sic jemel baptizandus vel geminati hominis, si hoc exactè deprehendi potest, distinctis vicibus baptizandus videtur, non obstante quod pedum conjunctio vel laterum agglutinatio, unum indivisuum representet, si id deprehendi non potest, uno actu pro individuo uno baptizari potest; Tale exemplum habemus in Italo Jo Genuesis nomine Lazarus Colredo, qui natus Anno 1617. fratrem ex sin-*

stro latere prominentem ostendis, qui duo fratres distinctis baptizati sunt vicibus, quorum alter Johannes Baptista appellatus, ut ex literis Augustini Pinceti ad Fortunium Licetum datis, refert *Wigilius*, idq; factum quia in ipsis duæ animæ rationales deprehendebantur, & nisi membrorum difformitas prohibuisset, diversas rationales edidissent actiones, aderat enim duplex vita, teste *Sperlingio*, duplex quoque subsecuta esset mors, nisi violentia naufragii circa Colonia. *cGent. 1. Obs. med. 5.* teste *Binningero*, eum arripuisset. Cum homines baptizandos esse dicimus, includuntur merito scemellæ, pro quibus pugnant Scripturæ dicta Matth. 28, 19. Gal. 3, 28. Act. 8, 12. & 16, 14, 15, includuntur infantes, quia corruptio hominis exigit. Joh. 3, 5. voluntas DEI universalis appetit. 1. Tim. 2, 4, atque ipsa vocatio puerorum illud promittit. Matth. 19, 14. Marc. 10, 15. Luc. 18, 15. Si itaque humanæ corruptionis exigentia tanta, DEI voluntas ad salutem infantum tamæ prona, parvulorum vocatio tam benigna, cur infantibus hoc salutare medium dēnegandum?

§. 15. Effectus s. finis Baptismi est remissio peccatorum, adoptio in hæredes vitæ æternæ. Joh. 3, 5. Act. 2, 38. Tit. 3, 5. Gal. 3, 27. 1. Pet. 3, 21. supponimus enim omnes ante susceptum baptismum esse peccatores, etiam infantes sec. Psal. 51. Hiob. 14, 4. Eph. 2, 3. Joh. 3, 6. Dist. autem inter peccati materiale & formale, culpam & pœnam s. reatum; formale peccati s. reatus, tollitur per baptismum, materiale autem tenaciter inhæret, debilitatur tamen, ut homo renatus Spiritus S. gratia illi, ne dominetur, resistere queat. Formale utique aufertur, ita ut non imputerur peccatum, non vero ut non sit; Nec urgent similitudines in scripturis occurrentes, mundandi s. lavandi, tollendi, delendi, auferendi; Probè enim dist. inter locutiones metaphoricæ & proprias, neque confundenda culpa cum reatu. Potest enim auferri reatus, & sic fieri mundatio metaphoricè sic dicta, licet culpa seu peccatum ipsum, quo ad substantiam non omnino sit extinctum; Renati enim adhuc sunt carnales, venditi sub peccatum, ut ipse de se testatur Paulus. Rom. 7, 14. & v. 17. non habitat in me bonum. v. 18. facio malum. v. 19. carne servio legi peccati v. ult.

§. 16. Affectio Baptismi est ejusdem necessitas; si enim Baptismus operatur remissionem peccatorum, liberat à morte & diabolo, atque donat vitam, maxime erit necessarius; Sed intelligitur hic necessitas non simplex & absoluta, quasi Baptismus ad salutem simpliciter & absolute sit necessarius, ut prorsus absque Baptismo nemo in N. T. salvari possit, quæ sententia est Pontif. absolutam Baptismi necessitatem statuentium, quam referente *Do. D. Ossandro*, eousque extendit *Hieronymus Florentinus Lucensis*, ut statueret abortum quantitate grani hordeacei si capax sit Baptismi baptizandum esse. Verum absoluta illa baptismi necessitas refutatur ex seqq. rationibus, quia 1. DEUS non obligatus est ad media ordinaria. 2. privatio (extra facultates hominum posita) non damnat, sed contemptus, quia 3. Latro in cruce sine baptismo & infantes in deserto, vel ante diem octavam animam efflantes sine circumcissione fuerunt salvati, quia denique 4. Christus non dicit, qui non baptizatus est, damnatur, sed qui non credit, Marc. 16, 16.

FINIS.

